

DISPUTATIO SECUNDA.

# EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, continens ἀνάλυσις capi-  
tis primi.

*Cujus positiones,*

Divina adjuvante gratia,

*Præside*

DAVIDE RVNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

*in Academia Vvitebergensi publico*

*defendet 5. Maij.*

IOHANNES SAMBSTAGIUS Byru-  
thanus Montanosr.



VVITTEBERGÆ,

*Typis, M. Georgij Mulleri, Sumptibus*

*Pauli Helwichij, Anno 1599.*

1599/2

2



Viris

REVERENDA DIGNITATE,  
*eruditione & autoritate clarissimis,*

Dn. M. NICOLAO GRAM-  
mano, Culmbacensis Ecclesiae  
Superattendenti vigilantiss.

Dn. CONRADO BAVRE  
schmidio, Byruthanae Ecclesiae  
Superattendenti digniss.

Dn. IVSTO ZIMMERMANN-  
no, Byruthanae Ecclesiae  
Archidiacono fi-  
deliss.

*Fautoribus ac Promotoribus suis reverenter  
honorandis:*

Hanc *suavitudo* Theologicam honoris &  
candoris ergo  
dicat

JOHANNES SAMBSTAGIUS  
Respondens.

VITTEBERGA

Typis M. Georgii Meibneri, Sumptibus  
Pauli Heilwigii, Anno 1729.

## CAPVT PRIMVM.



Ræmissa salutatione Apostolus orditur Epistolam hanc à gratiarum actione, qua Deo pro paterna liberatione ex insigni & lethali afflictione, quam in Asia fuerat perpeffus, gratias agit, accommodans simul vtrumq; ad Corinthiorum vsum, vt nimirum ex ærumnis Apostoli discant, patientiam in simili calamitatum genere præstandam, & ex liberatione ejusdem percipiant solatium aliquod & spem in rebus aduersis. Deinde sinceram animi affectionem erga Corinthios testatur, & ministerium suum illis commendat, quod sine hypocrisi aut fucata pietatis specie, sed in omni sinceritate ac simplicitate cordis versatus sit in mundo: in qua assertionem tum ad conscientiam suam iudicium, tum ad Corinthiacæ Ecclesiæ testimonium provocat. Deniq; quia priori Epistola cap. 11. & 16. Spem adventus sui fecerat Corinthijs, excusat se, quare hætenus promissioni suæ stare nequiverit.

*Partes quatuor sunt.*

Prima, Epistolæ ὑπογραφή, ἐπιγραφή & salutio.

Secunda, Exordium continens commemorationem afflictionum suarum, quas fuerat perpeffus in Asia, & gratiarum actionem pro liberatione.

Tertia, Assertionem & commendationem ministerij Apostolici & sinceri erga auditores animi testificationem completur.

Quarta, Excusationem habet, quare hætenus non venerit ad Corinthios, & simul aduersariorum calumnias ex hac morâ natas diluit.

### PRIMA PARS.

Prima pars tria habet membra omnibus Epistolis familiaria, quorum singula more Paulino quibusdam memoratu dignis sententijs ac verbis emphaticis sunt exornata.

Primum est ὑπογραφή, qua autor & scriptor exprimitur 1. Nomen est Paulus 2. Officium: Apostolus Iesu Christi 3. Autoritas: secundum voluntatem Dei, non propria temeritate ad sublimem

Gal. 1.  
1. Tim. 1.

blimem Apostolatus dignitatem evectus, sed à Deo clementissi-  
mè electus, vocatus & donis necessariis instructus. 4. Socius  
ejusdem Timotheus frater, quem sibi adjungit, perinde ut in præ-  
cedenti Epistola Sosthenem, tum ut ipsi auctoritatem in Ecclesia  
conciliaret, tum ut consensu docentium Corinthii confirma-  
rentur, tum denique ut arrogantiae notam declinaret. In voce  
fratris Hieronymus differentiam officiorum & vocationis inter  
Paulum & Timotheum notari arbitratur.

In Com-  
mentario  
post. Epi-  
stolæ ad  
Corinth.

Alterum membrum est ἐπιτομή: *Ecclesia Dei que est Corin-  
thi.* Idem Hieronymus quærit, quare Paulus suum nomen  
proponat eorum nominibus quibus Epistolæ sunt inscriptæ,  
cum id contra usum Epistolarum sit: & rationem reddit ex Apo-  
stolici muneris dignitate, quia minoribus scripsit. Verum enim-  
verò neque tum temporis nata erat insolentia illa meriens di-  
gnitates locatione nominum, de qua maximo cum scandalo  
quondam Papam Alexandrum cum Imperatore Friderico Bar-  
barossa contendisse historiarum monumentis proditum est: ne-  
que id contra Epistolarum morem est factum, cum eo tempore  
in Romano Imperio passim idem fuerit in usu receptum, quod  
præter reliqua etiam ostendunt omnium Epistolarum sacrarum  
exempla. 2. Vocat autem *cætum sacrum* qui Corinthi erat  
multis scandalis miserè deformatum, Ecclesiam Dei, propter  
publicam doctrinæ sinceræ confessionem & Sacramentorum ad-  
ministrationem. 3. adjungit Corinthiis omnes sanctos, qui sunt  
in universa Achaia. Erat Corinthus metropolis Achaie, & multi  
non tantum incolæ urbis, sed etiam ex vicina regione ad doctri-  
næ Christianæ societatem accesserant: Hos ergo omnes conjun-  
git. Hieronymus ineptè sanctorum titulo putat sacerdotes Co-  
rinthiorum notari, cum determinatio totius regionis contrari-  
um ostendat: Et non soli sacerdotes sint sancti in Ecclesia: Imò  
in illorum cœtu haud rarò plurimi sint minimè sancti, sed pseu-  
doapostoli, quod vel ex hac ipsa Epistola apparet.

Papalis  
ambitio.

Ecclesia  
Dei.

Sancto-  
rum titu-  
lus com-  
munis.

Tertium membrum continet salutationem Apostolicam,  
qua Christianis precatur gratiam & pacem à Deo Patre & Domi-  
no Iesu Christo. χαρις significat Dei gratuitum favorem ac be-  
nevolentiam, tanquam fontem omnium χαρισμάτων spirituali-  
um

um & corporalium, quæ notat voce *Pacis* phrasi Hebræis usitata. Atque ita duo illa membra ut causa & effectum cohærent.

Hæc bona precatur Paulus Corinthiis suis, non à Virgine Maria, Patriarchis aut Prophetis, sed à Deo Patre, cui pari majestate & potentia adjungit Iesum Christum, quem κατ' ἐξουσίαν *Act. 2.* ratione redemptionis per ipsum factæ, & exaltationis, Dominum nostrum vocat. 1. Cor. 8.

## THESES.

I. Apostolici officii autoritas dignitasque in his potissimum *Apostolorum* consistit, quibus abs quovis Episcopo aut ministro verbi differt *rum dif-* Apostolus: primò vocatione immediata Gal. 1. Etsi enim reliqui *crimen à* doctores quoque non sunt admittendi, nisi legitimè sint vocati, *reliquo* tamen illorum vocatio mediata ab Apostolorum vocatione *ac-* *certu do-* curatè discernenda est. *centium.*

II. Secundò certitudine doctrinæ, cui Ecclesia est superædificata Eph. 2. & angelica potestas nihil potest opponere, Gal. 2. Non potest igitur in doctrinæ fundamento errare Apostolus, cujus doctrina tanquam regula & norma est, ad quam aliorum opiniones sunt exigendæ: Gal. 6.

III. Tertiò potestate docendi nullis limitibus circumscripta Marc. 16. Idcirco miraculosa plurimarum linguarum cognitione Apostoli à Christo instructi fuere, ut ex toto genere humano Ecclesiam prædicatione verbi colligerent. Act. 2.

IV. Et hæc quidem sunt Apostolorum propria. Præter hæc sunt quædam membra, quæ ipsis cum aliis excellentibus doctoribus sunt communia, ut donum edendi miracula, ferendi martyria, singularis δὲ ψόνης *flexendi corda per verbum, Act. 2. 16.*

V. Sunt denique, quæ Apostolis & omnibus Evangelii ministris conveniunt, quæ verbi efficaciam & Sacramentorum integritatem ac virtutem concernunt. X

Non

Non enim magis est baptismus, nec plus habet efficaciae collatus ministerio Pauli Apostoli, quam qui per quemvis Ecclesie pastorem infanti confertur. Sunt enim ipsi quoque non Domini verbi & Sacramentorum, sed ministri, per quos credit Ecclesia 1. Cor. 3.

V I.

Papæ ty-  
rannis,

Nulli Apostolorum unquam mandata est gubernatio Politicæ: Impium igitur, hypocriticum & tyrannicum figmentum est Romanæ Synagogæ, quod Papa sit Dominus omnium regnorum mundi, & possit ea distribuere, quibus velit.

V II.

Hæc inter alias Antichristi notas non est postrema, qua supra Magistratus omnes ( quos scriptura Deos appellare non veretur Pl. 82, Ioh. 10. ) bestia illa triplici corona ornata se extollit,

V III.

Donatista-  
rum error.

In Ecclesia Corinthiaca multi erant pravis opinionibus imbuti, multi scandalis vitæ deformati, magna insuper confusio disciplinæ & rituum sacrorum: neque tamen huic cœtui admittitur Ecclesie titulum Apostolus, innuens hoc ipso, qualis sit Ecclesie militantis conditio & puritas in hac vita, quod nimirum in ea mali bonis sint mixti.

I X.

Eandem Christus describit Matt. 13. aliquot similitudinibus, quod contra Donatistarum, Catharorum & Anabaptistarum somnia Platoniam ideam fingentium diligenter observandum est.

X.

Retinet tamen ejusmodi cœtus nomen & rem veræ Christi Ecclesie, quo ad verbum Dei purum in fundamento & Sacramentorum administratio in sua institutione inconvulsa retinetur. Vbi enim hæc sunt, ibi necesse est aliquos esse renatos, verè pios ac Deum timentes, cum verbum Dei nunquam vacuum redeat ad Dominum, Es. 17. XI.

Sancti in  
hac vita.

Et hi verè renati vocantur ab Apostolo Sancti: Et ipsa Ecclesia ab hac parte potiori ac nobiliori appellatur sancta, pura, sine ruga & macula Eph. 5. non per inhærentem renatorum perfectionem, sed propter Christum, 1. Cor. 1. Cujus sanctitate imputata ipsi quoque coram Deo sunt justii & sancti.

X II.

Hanc suam conditionem filiorum Dei per fidem acquisitam Ioh.



Ioh. 1. renati ornant vitæ sanctimonia, quæ etsi est imperfecta, tamen placet Deo per & propter eundem mediatorem 1. Pet. 2. v. 6. Ineptè igitur Pontificij solos vita sanctos sanctorum appellatione indignant.

XIII.

Gratiam & benevolentiam Dei & omnis generis bona spiritualia ac corporalia non à sanctis Prophetis aut Apostolis, sed à Deo ipso per Christum expetere sibi, & precari alijs debent Christiani, Matt. 4. Ipse enim est fons gratiæ & pacis.

Contra  
Sanctorum  
invocatio-  
nem.

XIV.

Et quia Deo patri filium adjungit Apostolus, eumq; participem honoris soli Deo debiti reddit, & ab ipso eadem bona, quæ nemo nisi solus Deus conferre potest, precatur, hoc ipso immota consequentia Iesu Christi æternam Deitatem astruit.

Christus  
verus Deus

SECUNDA PARS.

Exordium Epistolæ εὐχαριστικῆς est, quo Apostolus gratias agit Deo pro liberatione ex multiplicibus afflictionibus & consolatione, quam in ærumnis senserat, & hæc ad Corinthiorum & totius Ecclesiæ utilitatem accommodat.

*Benedictus.* Gratiarum actio directa est ad Deum, quem primò describit, quis sit, videlicet Pater Domini nostri Iesu Christi: deinde duobus encomijs celebrat, quod videlicet sit πατὴρ δικαιοσύνης, & Deus omnis consolationis. Vtraq; phrasis Hebræa est: prior significat Patrem summè misericordem: posterior Deum optimum consolatorem in omni genere calamitatum & solatij. Ideo per ἐπεζηῶσιν sequentibus verbis idem ait, & propositionem suæ gratiarum actionis ponit v. 4. Gratias ago Deo, qui consolatur nos in omni afflictione nostra. Ratio amplificans hoc divinum beneficium prima sumitur à finali causa: Ideò nos Dominus premit afflictionibus & vicissim consolatur, ut & nos alijs onere calamitatum oppressis solatio eodem adesse possimus, quo nos Deus afflictos antea erexit. Altera ratio sumta est ab antithesi calamitatum & consolationum v. 5. Et à Christi exemplo atq; typo, Rom. 8. cui credentes oportet fieri conformes. Sicut abundant in nobis passionibus Christi, hoc est, quas tum nos pro Christi doctrina, vel ad exemplum Christi, Rom. 8. patimur, tum quas ipse in nobis patitur, Act. 9. Col. 1. Sic etiam abun-

Summus  
consolator  
Deus.

abundat per Christum consolatio nostra scilicet, qua tum ipsi  
 afflicti a Deo erigimur, tum alios mœstos & oppressos recre-  
 amus. παραλήψεις vox hoc loco activè & passivè est acci-  
 pienda. Rationem hanc illustrat v. 6. & 7. Si enim affligimur  
 vel consolationem accipimus, nos Apostoli & alij doctores ac  
 ministri Ecclesiæ, id sit pro vestra consolatione & salute, ut vide-  
 licet nos proprio experimento edocti vobis auditoribus nostris  
 ea, quæ ad solidam consolationem & spem æternæ salutis faciant,  
 suggerere valeamus. Et vos nostro exemplo ad patientiam  
 earundem afflictionum invitemus, ut utriusq; beneficii simul fia-  
 tis participes: atq; sanè utriusq; rei spem firmam concepimus de  
 vobis, freti pietate vestra.

Hanc ca-  
 lamitatem  
 quidam vo-  
 lunt eam  
 esse que  
 Act. 19.  
 describi-  
 tur.

NB  
 Cause fi-  
 nales, qua-  
 re p̄ sub-  
 jiciantur  
 cruci.

Mors, pro  
 calamita-  
 te mortē  
 afferente.

*Non enim volumus.* Gratiarum actioni subjicitur narratio  
 brevis, qua exponit Apostolus, quantas in Asia miseras degusta-  
 re fuerit coactus, quas omninò viribus humanis superiores &  
 tales quidem fuisse, ut de vita desperandum sibi fuerit, affirmat.  
 Hæc enim est vis verbi ἐξαπορηθῆναι, quam explicat v. 9. phrasi  
 ἀπορηματὸ τῆ θανάτου, quam alij decretum mortis interpre-  
 tantur, quasi Paulo in angustiis tantis constituto decretum fuerit  
 mori, alij responsum mortis, & quasi gustum, quem David vocat  
 portas mortis, Ps. 9. v. 14.

Hanc querelam recitatione causarum finalium, propter  
 quas tantas angustias perferre fuerit coactus, illustrat. *Prima est,*  
 ut fiducia humanarum virium tanquam abominabilis fructus  
 veteris Adami adhuc reliqui in sanctis, expiret.

*Secundo,* ut in eisdem excitetur fiducia erga Deum, quæ  
 nunquam est seria, nisi deficientibus humanis præidijs, *Tertia* ut  
 illustretur potentia Dei, valentis etiam mortuos suscitare. Ejus-  
 dem enim potentia est, mortuum revocare ad vitam & homi-  
 nem fractum viribus & jam cum morte luctantem, ubi nullum  
 superest naturæ vel medicamentorum auxilium, vivificare.

*Quarta,* ut agnoscatnr Dei clementia, quia non tantum po-  
 test fractos viribus erigere, sed etiam vult, idq; facto ipso decla-  
 ravit, dum me de tanta morte eripuit. Ubi per metonymiam  
 effecti pro causa, calamitates mortem afferentes vocantur mors  
 ipsa. Sicut Pharaon Exod. 10. v. 17. Agmina locustarum omnia  
 in Ægypto depascentium vocat mortem.

*Quinta,* ut credentium spes augeatur, in posterum quoq;  
 libera-



liberationem à Domino in simili calamitatum genere expectans. Exempla enim liberationum augment & confirmant spem piorum, vt patet, 1. 34. Iste pauper clamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum.

Sexta, vt efficacia piarum & quidem publicarum precum, quæ pro alijs ad Deum fiunt, elucescat, quarum virtuti ascribit Apostolus non postremam liberationis suæ partem.

Septima, vt gloriosam liberationem ex magno periculo publica sequatur ardensq. gratiarum actio, facta à multis personis. Phrasia Paulina hanc habet sententiam, vt propter hoc donum liberationis, quod mihi multorum deprecatione obtigit, à multis etiam personis Deo agantur gratiæ.

*Textus  
hoc loco  
est obscu-  
rior.*

Notandum hoc loco vox est  $\pi\rho\sigma\omega\pi\tau\epsilon$  de personis vel hominibus ipsis, quæ certa sunt  $\upsilon\phi\iota\varsigma\ \delta\epsilon\ \mu\epsilon\pi\alpha$ .

### Theses.

#### I.

**C**RUX piorum est passio animi aut corporis, imposita à Deo, vt mortificetur in renatis peccatum, & crescat novus homo probatus fide, spe, invocatione, patientia, & vt conspiciatur Dei sapientia, potentia ac bonitas in liberatione, ac privatim & publice prædicetur.

#### II.

Apostoli & Ecclesiæ ministri præ alijs multiplicibus calamitatibus onerantur, vt suo exemplo tam in perferendis ærumnis quam in liberatione alios ad eandem patientiam in cruce præstandam invitent, & qua consolatione se maximè confirmatos noverunt, eadem etiam alios erigant.

*Ministri  
verbi præ  
alijs affli-  
guntur.*

#### III.

Discernendæ autem sunt  $\tau\iota\mu\omega\rho\iota\alpha$ , de quibus 1. Pet. 4. v. 15. Psal. 107. v. 17. Syr. 38. v. 15. agitur, à passionibus verè piorum, quæ hoc loco dicuntur  $\pi\alpha\delta\acute{\iota}\mu\alpha\tau\alpha\ \tau\delta\ \chi\rho\iota\varsigma\tau\delta$ , quæ partim sunt  $\sigma\epsilon\kappa\iota\mu\alpha\tau\iota\alpha$ , partim martyria.

#### IV.

Fiunt autem poenitentiam agentibus calamitates, quæ  
B propter

propter delicta infliguntur, ex τιμωρίαις δολμασίων, duplici ni-  
mirum respectu.

De cala-  
mitatibus  
que piis  
infligun-  
tur pro-  
pter pec-  
cata.

V.  
Relatae enim ad praecedentes lapsus & ad alios offensos,  
sunt poenae: Respectu vero personae poenitentis, quae patitur, &  
relatae ad Deum placatum per filii unigeniti victimam fide ap-  
prehensam, sunt paternae castigationes ac mortificationes vere-  
ris Adami, & probationes fidei patientiae, spei, constantiae, & si-  
miliam virtutum.

VI.  
Falsa igitur est Papistarum opinio existimantium tales ca-  
lamitates, quales fuerunt Davidis post adulterium perpetratum,  
esse satisfactiones pro peccatis.

Calamita-  
tum di-  
stributio.

VII.  
Sunt igitur calamitates hujus vitae in quadruplici differen-  
tia: Primò sunt verè τιμωρίαι, quae infliguntur impiis, ut Sauli  
Ieroboamo, & similibus.

VIII.  
Secundò sunt δολμασίων, qua pii affliguntur non propter  
quosdam praecedentes lapsus, sed tantum ex beneplacito volun-  
tatis divinae ad probandum illorum fidem, patientiam & con-  
stantiam, qualis fuit afflictio Iobi, Davidis exulantis primo de-  
cennio, Iosephi in carcerem coniecti, Iacobi patriarchae &c.

IX.  
Tertio sunt quae ex τιμωρίαις sunt δολμασίων, quae ex utro-  
que gradu aliquid habent, proprie tamen ex posteriori sunt de-  
finiendae propter Deum placatum, & personam poenitentem &  
Deo reconciliatam. Talis fuit afflictio Davidis propter adulteris-  
um.

X.  
Quarto sunt martyria, quae propter doctrinae confessionem  
pii sultinent, ut Stephanus Act. 7. Paulus 2. Cor. 11.

Ex

12  
Ex his secundum & quartum genus propriè dicuntur πα-  
θηματα τῶν Χριστῶν in hoc textu, quæ & propter gloriam Christi  
perferuntur & in quibus Christus ipse in nobis patitur.

X I.

Ab his toto genere discernenda est passio Christi, quæ so-  
la est satisfactio & ἀντιλήψις pro peccatis totius mundi, 1. Tim.  
2. Nullius enim hominis passio aut calamitas hujus vitæ, quan-  
tumvis magna & diuturna, est satisfactio pro peccatis.

Passio  
Christi  
singularis  
est.

X II.

Proprium Ecclesiæ bonum est, veras & solidas consolatio-  
nes in calamitatibus suppeditare. Ethnicorum enim solatia  
animum afflictum nihil juvant, ac tandem cum fremitu in de-  
sperationem conjiciunt.

X III.

Magna est precum hominis Christiani efficacia Luc. 18.  
Iac. 5. Et publica Ecclesiæ intercessio peculiare habet promissio-  
nes Matth. 18. Rom. 15. 2. Cor. 1.

TERTIA PARS.

Post commemorationem de calamitatibus, quas in Asia per-  
ferre coactus fuit Apostolus, & de gloriosa liberatione sua, transi-  
t ad ministerii sui commendationem & testificationem animi  
sinceri erga Corinthios; atque hanc particulam annectit priori,  
per ἀπολογία, monstrata nimirum causa, quare Corinthii pro  
le afflicto orare, & pro liberato gratias agere Deo meritò debe-  
ant: Quia nimirum sit fidelis in toto ministerio suo, & sincerè  
versatus sit inter omnes Christianos, maximè verò inter Corin-  
thios.

B 2

Simul

Pauline  
gloriationis  
determinatio.

1. Simul autem opponitur hæc Apostoli καύχησις inani gloriationi Pseudoapostolorum Corinthiacorum, sua dona mirè prædicantium & extenuantium personam & labores Pauli. His statim in exordio opponit hanc veram & solidam gloriationem, cujus prima descriptio est à causa efficiente, videlicet testimonio conscientia: Qui vulgò venantur laudem, tantum aliorum conquirunt vota & commendationes, cum ipsi in conscientia sua rem aliter se habere sciant, qualis erat Phariseorum κενόδοξις.

2.  
sinceritas  
Apostoli-  
ca.

2. Secunda ab objecto: Alii quærent laudem ex donis docendi, ex vanarum linguarum cognitione in sapientia carnali: Sed ego hanc potissimam gloriationem meam existimo, quod in simplicitate cordis & sinceritate Deo probata, atque sic in Dei gratia (hoc est, veris donis à Deo datis, atque ipsi placentibus) conuersatus sum in mundo, potissimum autem apud vos. Hanc autem vocat ἀπλότητα & ἡλικρίνεσθαι δεῖν, partim quod ministerio non quæ sua sunt, quæsiuerit, sed quæ ad auditorum & Ecclesie utilitatem faciunt: partim quod non corruperit doctrinae genus ad quorundam cupiditates, sed id candidè ac sincerè tradiderit Ecclesie, neque aliter senserit animo, quàm ore sit locutus. His opponit σοφίαν σαρκικὴν, qua notat studium eloquentia ostentandæ in docendo, & consilia sapientum de religione, de conciliationibus dissidentium, de doctrinae accommodatione ad stabiliendam quorundam potentiam & auctoritatem. Hanc sapientiam alibi vocat κατωκλείου 2. Cor. 2. v. 17. κρυβέται & παυρογύου, Eph. 4. v. 14.

3.  
Testimonium  
aliorum.

3. Tertia, descriptio Paulinae gloriationis est à causa adiuuante: ut enim in vera gloria ad testimonium propriae conscientia accedit etiam aliorum rectè iudicantium: Sic Paulus provocat ad Corinthiorum testimonia: Non sum alius corde, quam qualem videris me in Epistolis, nec aliud scribo, quam sentio. Et hæc vos ipsi legentes cognoscitis esse vera. Solet enim fucata falsorum doctorum gloriatione facile deprehendi ex illorum oratione & factis sermoni minimè respondentibus. Et qui recte oratione in scribendo utitur, de eo rectè dixeris, alia in eius verbis legi, quàm quæ sensu illius sint scripta.

Quarta

Quarta determinatio est ab adjuncto, videlicet continuatione: 4.  
Falsa gloriatio initio quidem magno impetu sese effert, paula- Continua-  
rim verò fraude patefacta minuitur, ac planè evanescit: sed de tio.  
me spero vos εως τήλως. hoc est, usque ad finem ministerii mei, &  
in toto ejus curriculo hoc ipsum, de quo nunc gloriatus sum,  
experientia cognituros esse. 8.

Quintò commendatur eadem gloria ab objecto: sicut enim  
nos sumus vestra gloria, hoc est, sicuti vos gloriæ & laudi vobis  
ducitis, quod mea potissimum opera à gentilismo ad Christia-  
nismum conversi estis: Sic vos Corinthii nostra estis gloria, in  
die Domini Iesu: hoc est, Ego vicissim de vobis tanquam filiis  
meis, quos per Euangelium genui, verè gloriari possum, quod  
ad prædicationem meam Euangelio credideritis.

## THESES.

### I.

Vera docentium gloria consistit in propriæ conscientiæ &  
aliorum rectè judicantium testimonio, quod in simplicitate &  
sinceritate Dei, non in sapientia carnali officia vocationis fece-  
runt. Tit. 2.

### II.

Est autem simplicitas & sinceritas tum in doctrina, tum in sinceritas  
affectu docentis. Illa est aliena ab omnibus corruptelis & ab duplex est.  
insidiosis involucris verborum & phrasum: Hæc autem aliena  
est à cupiditate inanis gloriæ, ostentatione ingenii, variæ lectios-  
nis & eloquentiæ, à studio innovandi phrales & genus doctri-  
næ, aut inflectendi, ad cupiditates potentum & similibus pravis  
affectibus.

### III.

Rejicitur autem omninò sapientia carnalis in docendo  
Euangelio ac colligenda Ecclesia, ut quando aliqui consuunt

B 3

cothurnos

*Consilia  
carnalia  
in religio-  
ne.*

cothurnos in articulis fidei, ac data opera ambiguis utuntur locutionibus ad fallendos incautos: dissidentibus in religionis fundamento theologis, mandant silentium utrique, atque sic Deum & Diabolum simul tacere jubent, ipsi interim ludunt strophis ambiguis & decipiunt alios.

IV.

Hujusmodi consilia humanæ sapientiæ multa in negotio Interimistico, nec non controversia Sacramentaria intervenerunt, quæ magno applausu aularum, & quorundam Theologorum fuerunt suscepta atque usurpata, contra mandatum Dei de sinceritate & simplicitate.

V.

Nunquam enim fuit felix carnalis sapientia in religionis negotio, neque Ecclesiæ salutaris: sed quotquot Theologi ea usi sunt, hi tandem gravi aliquo lapsu (deserente eos Domino sua gratia) vanitatem ejus, fraudes mundi, ac potentiam Satanæ declararunt, sicut nostri seculi exempla abundè restantur.

VI.

Vanum est igitur studium conciliandi doctrinas inter se pugnantes, & Christum cum Belial, veritatem cum mendacio conglutinandi, 2. Cor. 6. Cum plus uno verum esse non possit, & Deus veritas sit, cui cum mendacio nihil est commercii.

## QUARTA PARS.

*Metonymia.*

Postrema capitis parte excusat se, quare promissioni adventus sui 1. Cor. 16. hætenus non satisfecerit. Hac *μενωδίσος* inquit, qua de vestra erga me benevolentia, & meo in vos sincero affectu certò persuasus sum, volui prius venire ad vos, atque inde redire in Macedoniam, vicissim verò inspectis Ecclesiis Macedonicis reverti ad vos, & deinceps à vobis deduci in Iudæam. Idque eram factururus, ut haberetis ex me *δευτέραν χάριν*: Sic vocat alterum suum adventum, qui non sine utilitate publica Ecclesiæ & donorum spiritualium distributione futurus fuisset. *Cum ego*



ego, &c. Præoccupatio qua purgat se Apostolus à triplici accusa-  
 tione Pseudodoctorum, qui ex quavis etiam levissima re aniani  
 capiebant deformandi Paulum. *Primo* enim hanc dilationem  
 alij interpretabantur *ελαφρία*, id est levitatem animi tubinde  
 mutantis propositum. Alij verò ad carnalia ejus consilia in *Est & non*  
 ministerio Apostolico continuando referebant, secundum quæ  
 sæpè de eisdem rebus *Est & Non* dicere cogeretur, quod solent  
 facere, qui non recto pede incedunt ad veritatem. *Fidelis &c.*  
 Responsio ad objecta crimina, quorum posterius tanquam gra-  
 vius primò diluit, hoc argumento: Vos Corinthij scitis  
 prædicationem meam inter vos non fuisse incertam, de eisdem  
 rebus modò aliquid affirmantem, modò negantem, sed me  
 constanter & verè eadem confirmasse, quæ semel fuerunt con-  
 firmata.

Qui enim aliter agunt hos Spiritu vertiginis rotari, & omni  
 vento doctrine circumagi necessum est. Hanc suã sententiã asse-  
 rit. 1. Religiosa attestazione divini nominis habente vim jura-  
 menti: testis est mihi Deus fidelis & verax, 2. Notitia & confes-  
 sione Corinthiorum. 3. Rei ipsius dignitate ac majestate.  
 Christus enim Iesus Dei filius, qui in vobis per me, Sylvanum  
 & Timotheum prædicatus est, in doctrina sua, operibus &  
 meritis non fuit incertus, inconstans, *Est & Non*, sed est, in illo  
 fuit, hoc est, summa veritatis docendæ, & redemptionis nostræ  
 absolvendæ certitudo & constantia. Turpè igitur fuisset,  
 imò impium, doctrinam Evangelij de Christo Iesu inconstantia  
 & varietate prædicationis deformare. Quotquot enim pro-  
 missiones Dei sunt, eæ in Christo sunt *etiam*, & in ipso sunt  
*Amen*. Hoc est, omnes Dei promissiones factæ humano generi  
 nituntur unico illo mediatore Christo, propter quem homines  
 reconciliati Deo placent & in illo sunt *Amen*, hoc est certissimæ.  
 V. 20.

*Doctrinæ  
 & operis  
 Christi cer-  
 titudo.*

Nam & promissiones legis per Christum ratæ sunt, im-  
 plentem omnia mandata non sibi sed nobis, Math 5. & pro-  
 missiones Evangelicæ Christo tanquam immoto nituntur fun-  
 damento.

4. Menti-



4. Mentione suis : Quia hæc certitudo promissionum Dei & certitudo doctrinæ Evangelij, ac constantia docentium subindè eandem normam veritatis asserentium cedit ad gloriam Dei, per nos scilicet Apostolos & alios doctores illustratam.

5. Allegatione causæ efficientis, à qua illa certitudo dependet. Alia enim est certitudo doctrinæ Evangelij & promissionum secundum se considerata : ea dependet à Christo Dei filio, qui est immota veritas, & in quo omnia divina autoritate sunt certò confirmata & impleta. Alia est certitudo scientiæ, amplectentis istam doctrinam : Et hæc tam in Paulo, quam in auditoribus Corinthijs est à Spiritu Sancto, dicente Apostolo : Qui autem confirmat nos (docentes)  $\sigma\omega\delta\iota\sigma\mu\iota\pi$  (auditoribus) in Christo, & qui vixit nos (Spiritu Sancto) Deus est, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Cum igitur per Dei operationem de veritate doctrinæ simus certissimi, noluimus in ea inconstanter modò hoc, modò illud asserere, sed confirmati & obfirmati per Spiritum Sanctum semper eadem repetenda urgendaq; duximus.

*Certitudo duplex per se &  $\pi\sigma\delta\iota\sigma\mu\iota\pi$ .*

*Arrha.*

Vox Græca  $\alpha\rho\rho\alpha\tau\omega\nu$  ex Hebræo translata est, à radice  $\alpha\rho\rho$  hoc est, spondit, promisit. significat igitur arrha omne id, quo dato promissio confirmatur, sive id fiat dono aliquo, sive parte pretij persoluta. Ita Deus renatis dat Spiritum Sanctum, tanquam arrham reliquæ gloriæ & cæterorum bonorum, quæ non in hac, sed in altera vita demum nobis sunt expectanda.

### Theses

**E**ventus consiliorum & actionum humanarum non sunt in nostra potestate, sed divinitus reguntur, secundum dicta : Homo proponit, Deus disponit ; Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri dirigere gressus suos, Ier. 10.

II.

Christus est verus & naturalis Dei filius  $\mu\omega\theta\omega\gamma\epsilon\upsilon\iota\varsigma$  : Est ergò verus Deus, Patri coessentialis & coæternus, Ioh. 1.

III.

Ministro Evangelij diligenter fugienda est inconstantia, mutans

mutans doctrinae genus & inflectens secundum temporum muta- *Inconstan-*  
tiones, & potentum cupiditates. De qua ελαφρεια concionatur *tia*  
Paulus Eph. 4. v. 14.

IV.

Summa est Apostolicae doctrinae certitudo & ὁμόνοια, in omnibus membris vndiquaque; sibi respondens. Deum enim autorem habet confirmantem eam multis in lignibus potentiae & praesentiae, suae documentis: Et omnes Apostoli dispersi per totum terrarum orbem vnum idemque; doctrinae genus predicarunt, quod indicio est, esse id non humanum opus, sed divinae sapientiae proprium.

V.

Extra Christum nihil perfecti de Deo investigari aut sciri potest, nimirum de eius essentia & voluntate. Nemo enim novit Patrem, nisi filius, Ioh. 1.

VI.

Et si in solo Christo promissiones Dei ratae sunt, sequitur *Promissi-*  
neminem posse implere Legem Dei: alioqui si id fieret, certae essent *ones in*  
promissiones etiam extra Christum, Rom. 8. Gal. 2. Nulla igitur *Christo*  
sunt hominum merita, cum omnia Dei promissa à sola misericordia *sunt ratae.*  
Christum intuente dependant.

VII.

Nec tantum promissiones rerum spiritualium certae & ratae sunt propter Christum, sed etiam bona corporalia dantur per & propter Christum fide apprehensum. Sine fide enim impossibile est placere Deo, Heb. 11.

VIII.

Denique; si in Christo omnes promissiones ratae sunt, utique; de earum veritate & impletione non est dubitandum, sed firma fiducia Christum amplectente petenda & expectanda sunt beneficia tam spiritualia quam corporalia, illa quidem simpliciter propter promissionem absolutam, haec cum exceptione castigationis & crucis.

C.

Spiritus

IX.

Spiritus sanctus est sancta illa unctio, 1. Ioh. 2. & pignus atq; arrha obsignans in cordibus credentium Evangelij promissionem, & dans testimonium Spiritui nostro, quod sumus in gratia, Eph. 1. 2. Cor. 5. Rom. 8.

X.

*De charactere Papi*  
*lico.* Impie & inepte ex hoc aureo textu plumbeum dogma suum de charactere indelebili, impresso per Sacramentum baptismi, confirmationis & ordinis probare conantur Pontificij, ut videre est apud Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 20.

XI.

Quia enim hoc loco est vox *ἔστυν* obsignans, concludit inde per quaedam Sacramenta imprimi peculiare signum, quod characterem vocant indelebilem in anima hominis, de quo Iesuita cap. 19. ejusdem lib. inquit, quod sit absoluta qualitas, aptum faciens hominem ad cultum divinum, eumq; configurans Christo, & distinguens ab alijs.

XII.

Sed quis fidelium non animadvertit manifestam Sophisticam? Scriptura enim hoc textu metaphoris tribus eandem rem notat ac describit. nimirum Spiritum Sanctum. Hunc primo confert unctio, qua solebant Sacerdotes & reges consecrari in Veteri Testamento. Deinde signo, aut sigillo, quo obsignatur & confirmatur Epistola aut obligatio vel apocha, de debito solvendo aut soluto. Tertio arrhae, quae datur in contractu vel matrimoniali vel emtionis.

XIII.

Neq; aliud significat hoc loco signum quam unctio ipsa aut arrha, sicut patet ex Eph. 1. & 4. Vbi dicimur obsignati Spiritu promissionis Sancto.

XIV.

Frivolum est igitur, quod Iesuita obsignationem ex nostra mente refert ad Sacramentum externum: Ineptum vero, quod

integ



12  
inter se opponit promissionum obfignationem & hominum. Nam  
& hi obfignantur, & illæ in his, diverfo respectu. Homines  
quidem interno testimonio Spiritus Sancti, quod sint in gratia:  
Rom. 8. Promiffiones verò non modo juramentis Dei,  
& Sacramentorum vfu, fed etiam firma affenfione  
& πληροφορίᾳ fidei, quam in cordibus  
credentium idem Spiritus  
efficit Rom. 4.

SOLI DEO GLORIA.



inter se opponuntur & non possunt  
simul existere. Quia si unum  
est, alterum non potest esse.  
Sed si unum est, alterum  
non potest esse. Quia si unum  
est, alterum non potest esse.  
Sed si unum est, alterum  
non potest esse. Quia si unum  
est, alterum non potest esse.

SOLIDUS QUORUM



DAVID RYNGO 22

WITTEBERG  
1717



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3  
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,









DISPUTATIO SECUNDA.  
**EX EPISTOLA**  
PAULI AD CORINTHIOS  
posteriori, continens ἀνάλογον capi-  
tis primi.

1599/2

*Cujus positiones,*  
Divina adjuvante gratia,  
*Præside*  
**DAVIDE RVNGIO S. S.**  
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE  
*in Academia Uvitebergensi publico*  
*defendet s. Maij.*

IOHANNES SAMBSTAGIUS Byru-  
thanus Montanofr.



**VVITTEBERGÆ,**  
*Typis, M. Georgij Mulleri, Sumptibus*  
*Pauli Helwichij, Anno 1599.*

